Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26345
Copyright: Admont, Benediktinerstift

caloris et cratis. Pro signo altaris s. BENEDICTI sive aliorum qui abbates fu-
erunt. premisso generali. adde ut capillum super aurem pendentem cum duobus digitis id est
indice et medio apprehendas. quod etiam est signum cuiuslibet abbatis.
Pro signo crucis. indice super indicem posito. ipsam crucem simulabis.
Pro signo capse. omnium utriusque manus digitorum summitates exceptis pol-
licibus vicissim sibi coniungas. deinde martyrum signum facias. pos-
tremo vagine signum addas. Pro signo calicis. cum leva signum patere
facto. et cum dextra desuper signaculum sancte crucis exprimito. Pro signo pa-
tene. extremitatem indicis articulo pollicis preponas. ac si rotun-
ditatem eius innotescere velis. Pro signo oblate. hoc tantum differt. ut
eundem indicem predicto quoque articulo preponas. Pro signo fistule sive ha-
rundinis ex qua sanguinem domini percipere solemus. premisso metalli
signo summitatem indicis ad os applica quasi ex ea bibere velis. Pro signo
corporalis premisso generali. signo panni linei. id est ut utriusque manus digitos
super invicem positos semel et secundo retrahas. hoc adde. ut pol-
licis ac indicis summitates coniunctas ori reverenter adhibeas.
reliquis tribus extensis. que etiam adhibitio digitorum ad os. signum est
communicandi. Pro signo panni ad offerendum aptati. generali signo
panni premittito addita in superficie manus deosculatione. Cum
eadem vero quoque osculatione offerendi signum facies. Pro signo turibuli.
premisso metalli signo. hoc adde. ut tribus digitis ipsum moveri paululum simul
, b. disiunctis ac deorsum versis. pedem ipsius simules. Pro signo acerre. manus
aliquantulum inflexas compone. deinde numerantem denarios
simula. quod est signum argenti. postea duobus digitis narium extre-
mitatem tangas. addito ad ultimum vagine signo. Pro signo follis.
pone pugnum dextrum super sinistrum. et sic quasi folle utitur move
utrumque. Pro signo bacinorum sepe dictum metalli signum premittito.
adiungens signum scutelle.

Pro signo candelabri. vero premisso metalli signo. hoc adde ut tribus digitis d